

NUMMUS CASTRENSIS
CAROLI DUCIS GELDRIÆ
OCTAVI ET ULTIMI, CUSUS IN EXPE-
ditione contra Brabantinos susceptâ.
Anno Christi 1507.



Agnum, Carolo huic, ad res arduas animum fuisse, cum *symbolum ejus refert, explicatione nullâ indigens*: tum bella testantur contra Austriacos Belgarum Principes, pro ducatu Geldriæ, Anno Christi 1505. contra Brabantinos verò Anno Christi 1507. suscepta. Veniens in Brabantiam cum Roberto à Marca Leodiorum Episcopi fratre, Diestensium urbem oppressurus, à mœnibus ejus, Nassovij Principis & civium virtute repellitur. Halâ oppidulo incenso, Thenæ obsessæ, captæ, atque ita direptæ sunt, ut nec templis quidem, nec sacris locis temperatum sit. Multi præterea omnis sexus & ætatis sine discrimine partim contrucidati, partim Ruremondam, Geldriæ oppidum, abducti fuerunt in omne genus malorum. Lovanium, præsidio licet firmatum, facile tamen cepisset Geldrus, si tentasset. Duravit tempore bene longo hæc Caroli nunc in Holandos, nunc in Brabandos grassatio: captis aliquot insuper oppidis: magnâ pecunia multatis Buscoducensibus; donec tandem ei per Maximilianum

Imperatorem impositus finis fuit. *Hadrianus*

Barlandus. Author.

